SECTIO I.

HISTORIA MISSAE PRIVATAE.

CAPUT I.

Praxis primorum ſaeculorum.

§. 1.

Qualem Chriſtus in euchariſtiae celebratione ritum obſervarit, evangelium ſatis eloquitur. Chriſtus diſcipulis ſuis, a) in unum locum congregatis, *omnibus* corpus ſuum in cibum, et ſanguinem in potum dedit; idemque in ſui commemorationem fieri juſſit.

a) Luc. XXII. 19. Matth. XXVI. 26. Marc. XIV. 22. I. Cor. XI. 24.

§. 2.

Apoſtoli pariter in conventibus coenam adminiſtrabant. Nam Lucas act. II. ſcribit „erant „ perſeverantes in doctrina apoſtolorum, et in „ communicatione fractionis panis" et cap. XX.

„ una ſabbatorum cum conveniſſent ad frangen-
„ dum panem " --- ad ſacramenta ſcilicet et myſteria celebranda, ſicut exponit Auguſtinus epiſt. 36. ad Caſulanum.

§. 3.

Primis eccleſiae temporibus epiſcopo ſacra facienti aderant cum laicis presbyteri, ut, oblationis participes, eucharistiam acciperent; et abſente vel jubente epiſcopo presbyteris tantum offerre conveniebat. Conſtitutiones apoſtolicae lib. 8. cap. 13. epiſcopum cum presbyteris circumſtantibus et communicantibus ſacra operantem deſcribunt --- eandem diſciplinam ſupponit canon V. a) Toletani I. Veſtigia hujus praxeos relicta eſſe videntur in canone, quem hodie in miſſa recitat ſacerdos, ubi plurium nomine preces funduntur; non tantum nomine plebis, ſed et aliorum a plebe diſtinctorum, nempe ſacerdotum. Sic dicitur ante conſecrationem: „ Memento famulorum, famularumque tuarum, „ pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offe- „ runt hoc ſacrificium " et poſt conſecrationem „ unde et memores domine *nos ſervi tui*, ſed „ et plebs tua ſancta " etc.

a) „ Presbyter, vel diaconus, vel ſubdiaconus, vel quili- „ bet eccleſiae deputatus clericus, ſi intra civitatem „ fuerit, vel in loco, in quo eſt eccleſia, aut ca- „ ſtello, aut vico, aut villa, et ad eccleſiam ad ſacri- „ ficium

„ ficium quotidianum non accesserit, clericus non ha-
„ beatur, si castigatus per satisfactionem veniam ab
„ episcopo noluerit promereri conf. *Morinus* comment.
de sacris ordin. part. 3. exercit. 8. cap. 1. Thomassi-
nus in vet. et. nov. eccl. discip. p. I. lib. II. cap. 21.
Krazer de antiquis ecclesiae occidentalis liturgiis liber
singularis (1786.) pag. 186. idem mos retinetur in
missa, in qua neopresbyteri episcopo adsistunt ad
aram, et cum eo missam conficiunt.

§. 4.

Praeterea, quotquot aderant ferme fideles, de corpore et sanguine dominico participare tenebantur. Clemens alex. Strom. 1. scribit. „ Eucharistiam, cum quidam, ut mos est, divise-
„ rint, permittunt unicuique ex populo ejus
„ partem sumere. " Justinus apolog. 2. „ solis
„ die omnium, qui in urbibus, vel in agris
„ degunt, in eundem locum conventus fit...
„ praepositus preces et eucharistias facit... di-
„ stributio fit cuique praesenti, absentibus vero
„ per diaconos mittitur. " Imo, cum circa finem sacculi tertii fervor ille languescere et numerus communicantium imminui coepisset, patres illiberitani cap. 28. statuerunt, episcopum non debere munera ab eo accipere, qui non communicat. Huc spectat quoque can. II. antiocheni II, canon 13 Toletani I, canon X. a) Apost. et decretum Anacleti; b) quod, licet

 sup-

suppositititium, venerandum est antiquitatis monumentum.

a) Canon X. „ Cunctos fideles, qui in sanctam Dei ec-
„ clesiam ingrediuntur et sacras scripturas audiunt, non
„ autem perseverant in oratione, et sancta communione,
„ velut in ecclesiam inducentes confusionem segregari
„ oportet. " b) „ Peracta consecratione omnes commu-
„ nicent, qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus.
„ Sic enim et apostoli statuerunt et sancta Romana tenet
„ ecclesia. " de consecrat. dist, 2. c. 10.

*) Hanc ecclesiae praxin et ipsi scriptores ecclesiastici agnoscunt. *Amalarius* de officiis eccl. lib. 3. in praef. Hic liber praeclarus, cujus MS. etiam in bibliotheca ecclesiae Metropolitanae Mog. reperitur, extat in collectione Patrum Variorum de ecclesiae catholicae officiis Divinis. Romae 1591. *Wallafridus Strabo* de reb. eccl. cap. 22. *Micrologus* de obs. eccl. cap. 51. *Durandus* in rational. div. off. cap. 53. n. 2. *Selvagius* antiq. christ. inst. lib. 2. part II. cap. 3. § 4. Herrliche Züge der uralten Kirche (ait Anonymus über den Verfall des Pfarr Gottesdienstes in der Katholischen Kirche S. 7.) schönes Sinnbild des mit ihr vereinigten Heilands! Hierinn lag Seelenwonne für den Christen, Nahrung für seinen Geist; hier war ächte apostolische Andacht, Uibereinstimmung der Gemüther, brüderliche Friedensküsse, treffliche Erbauungsreden, die nicht nach dem Kunstgewebe der Eloquenz, sondern nach dem einfachen belehrenden Geiste des Evangeliums eingerichtet waren.

§. 5.

Hisce ecclesiae sanctionibus ipsi monachi non erant exemti, qui cum reliquo populo, ut sacris mysteriis participarent, ad ecclesias con-

conveniebant: Patet id ex *Athanasio* in apolog. pro fuga, *Palladio* in hist. laus. cap. 17. *Cassianus* inst. monest. lib. 3. cap. 2. ait. „ veteres mona-„ chos sabbatis, dominicisque sacrae commu-„ nionis obtentu hora tertia in ecclesiam con-„ venisse. " Quae dixi, tam clara sunt, ut sine ulla haesitatione scribat Morinus in tract de poenit. lib. 2. c. 17. „ Monachi omnes, si in „ urbibus aut longe ab his ipsos versari oporte-„ bat, ad ecclesiam cum caetera plebe loco „ tamen primo, ut nobilior dominici gregis „ portio sessuri conveniebant. "

CAPUT II.

Disciplina relaxata.

§. 1.

Si quaestio instituatur, quandonam populus cum sacerdote communicare desierit, magna apud theologos discrepantia invenitur. *Gervasio* de sacramentis. lib. 1. pag. 326. jam adducit canonem IX. apostolorum, quo sancitur, quod ex legitima causa indigni a sacra mensa arceri possint. --- Poterat ergo, inquit, contingere, ut solus sacerdos aliquando communicaret. *Morinus* in comment. de sacris ordin. part. 3.

exercit. 8. cap. 2. pag. 127 missas privatas in casu necessitatis tantum dictas esse putat. --- Rara illarum esse exempla in antiquis monumentis asserit *Fleury* diss. 2. in hist. eccl. §. 7. Casaubonus exercit. 16. in annales Baronii num. 68. missas in antiquitate omnino esse incognitas asserit. Alii ex eo, quod primi christiani in cryptis et carceribus panem fregerint, pro missis privatis rationem desumunt. Sed quaestio non est: an in privatis locis christiani sacra celebrarint (nam persecutionum furor illis facultatem palam conveniendi denegabat) sed: an sacerdos, quin populus participarit, sacrificium peregerit; et hoc est, quod dictis (§. 4.) testimoniis repugnare videtur. Provocant alii ad exemplum s. Ambrosii, qui, teste Paulino in ejus vita, trans Tiberim in domo clarissimae cujusdam sacrificium obtulit; aut presbyteri illius cujus Augustinus lib. 22 c. 8. de civ. dei. meminit, quod in fundo Hesperii sacra peregerit. Sed respondet Cassander art. 24. in conf. has missas, quamvis extra conventum publicum et inter paucos fierent, non sine omni collecta et synaxi fuisse; sed in tali actione sacerdotem aliquos, licet paucos, vel ex ipso clero, seu ministris ecclesiae habuisse, qui cum illo sacramenta participarent. --- Sed haec privata hominis docti sensa, quantum probanda sint, mox patebit.

Inter

Inter diverſas adeo opiniones difficilis ſane electio. Quae mihi occurerunt, ingenue aperiam, ut, ſi opinatione mea lectori ſatisfactum non eſt, ex ea aliquid probabilius iuquirendi, occaſionem deſumat.

§. 2.

Miſſa privata, in quantum ſumitur pro ea, quae celebratur ſine populo communicante, haud dubie eſt antiqua, cui variae cauſae anſam dederunt. Veſtigia illius eſſe videntur apud Tertullianum c. 14. de fuga, qui de perſecutionis tempore et euchariſtia die dominico celebranda loquens ad Fabium ſcribit: „ Si colligere in„ terdiu non potes, habes noctem, luce Chriſti „ luminoſam: Non potes diſcurrere per ſingu„ los, ſit tibi et in tribus eccleſia. “ Quo cum loco valde conſpirat Theodulphus Aurelianenſis. (§. 10. citatus) illud Chriſti uſurpans: *ſi duo tres fuerint congregati*, etc. Quodſi tres aut duo ad coetum eccleſiaſticum fufficiebant, quid? Si unus, vel duo aut ratione corporis, aut ratione animi haud fuerant parati ad participandum? An et ſacerdos ſacrificio, et ſacra menſa debebat carere? vel, an illis neceſſario fuit diſcedendum, et ſacerdos ſolus relinquendus? atqui canon IX. apoſt. eo caſu, quo quis praeſens ab ecuhariſtia abſtinet, tantum probabilem abſtinentiae cauſam eſſe afferen-

dam postulat, quae facilis erat in praecepto divino per s. Paulum promulgato: „ *probet* „ *autem se ipsum homo.* " Poterat ergo sacerdos in ejusmodi casu celebrare sine omni communicante, quod subin accidisse, quis negabit?

Idem fundamentum missarum privatarum erui potest ex oratoriis, quorum jam in vita Constantini apud Eusebium lib. 4: cap. 17. Sozomenum lib. 1. hist. eccl. cap. 8. et Gregorium Nazianz. orat. 19. funebr. in laudem patris sui mortui, fit mentio. Cum enim in his perpauci adessent; quid? Si nemo praeter sacerdotem erat paratus ad sumendam ecuharistiam; An sacrificium et ecuharistiae confectio plane erat omittenda? Quis haec defendet? Quis non contra sensa Cassandri supra allata potius judicabit, non raro ejusmodi missas etiam solo sacerdote communicante fuisse celebratas?

§. 3.

Id certum est, quod Chrysostomus in negligentiam eorum, qui eucharistia frequentius abstinebant, graviter sit invectus. Patet id ex invectivo in illos sermone, a) qui sacris, quin communicarent, adstabant. --- Interim in hoc tepore fidelium, de quo patres b) eodem saeculo saepissime conquesti sunt --- in oratoriis, quorum exstructionem divitibus S. Chrysostomus c) com-

c) commendabat --- praecipue vero in monachis, d) qui anno 392 ex desertis locis oppida liberius ingressi, et juxta voluntatem Siricii epist. 1. c. 13. clericorum officiis anno 384 non raro fuerunt aggregati; missarum privatarum augmenta detegimus.

a) Hom. III. in Ephes. *apud Bingham* orig. eccl. lib. 15. cap 4. §. 2. „Non es dignus, inquit, sacrificio, neque „ participatione? (Haec enim eorum erat excusatio) „ Ergo nec prece. Audis praeconem stantem, et dicen- „ tem. quicunque estis in poenitentia, abite. Omnes, „ qui non participant, sunt in poenitentia. Si es ex „ iis, qui sunt in poenitentia, non debes participare. „ Nam qui non participat, est in poenitentia. Cur „ ergo dicit, abite, qui non potestis precari: tu autem „ stas impudenter? at non es ex his, qui possunt par- „ ticipare, et nihil curas? Rem nihili esse putas? „ Considera quaeso. Adest mensa regia; adsunt angeli „ ministrantes, adest rex ipse, et tu stas oscitans? „ Vestes tibi sunt sordidae, et nulla a te hujus habetur „ ratio? At sunt mundae: accumbe ergo et participa. „ Venit quotidie, ut videat accumbentes, omnes allo- „ quitur; et nunc in vestra dici conscientia: Amici, „ quomodo heic statis, non habentes vestem nuptialem? „ Non dixit, cur accubuisti? Sed ante accubitum et „ ingressum eum dicit esse indignum. Non dixit enim, „ cur accubuisti? Sed, cur intrasti? Haec ergo nunc „ quoque dicit nobis omnibus, qui impudenter et in- „ verecunde stamus. Quicunque enim est, qui myste- „ riorum non est particeps, is impudenter star, et nimis „ audacter. Qui sunt in peccatis, propterea priores „ ejiciuntur. . . . Dic mihi, si quis ad convivium invi- „ tatus manus laverit et accubuerit, et ad mensam pa-

„ ratus

„ ratus fuerit, et deinde non fuerit ejus particeps, „ annon contumelia adficit eum, qui invitavit? Annon „ esset melius, eum ne adfuisse quidem? Ita tu quo- „ que adfuisti, hymnum cantasti, cum dignis om- „ nibus te es professus, eo quod cum indignis non re- „ cesseris. Quomodo mansisti, et mensae non es parti- „ ceps? Sum, inquis, indignus. Ergo illa quoque „ communione et societate, quae est in precibus, es in- „ dignus. " Satius igitur putabat S. Chrysostomus, si, qui participare nollent, cum catechumenis et poenitentibus e templo discederent. b) Chrysostomus hom. 7. in Matth. hom. de non contemnenda ecclesia et ecclesiae mysteriis. Augustinus de temp. ser. 251 conf. *Claudius Sainctes* liturg. s. patrum (Antverpiae MDLX) pag. 195. c) hom. 8 in acta apud Thomassinum p. I. lib. II. c. 92. n. 9 d) Pilati orig. juris pontif. pag. 113.

§. 4.

Inter haec cum frigescere coepisset fidelium fervor, faciem longe diversam subiit ecclesiae disciplina. Is enim circa eucharisticae coenae sumtionem pedetentim in animos subrepsit tepor; ut, qui, sunt verba Espenii, tanquam famelici ad hunc cibum accurebant, debuerint tanquam aegri ad medicamenta non tantum invitari, sed et urgeri. Fideles a primaevae disciplinae candore sensim adeo desciverant, ut illa temperanda potius, quam ad pristinam puritatem reducenda videretur. Canonum rigorem, qualem adhuc an. 400. in synodo toletana c. 13. deprehendimus, quo fideles ad communicandum com-

compellebantur, desinere jam observamus; imo sufficere credebat Concilium Agathense an. 506. si saeculares die dominica missam audirent, et trinis per annum vicibus reciperent communionem. a) Hinc eodem saeculo missae, quin populus communicaret, exemplum refert Leontius de Joanne elecmosynario in ejus vita „ et „ facit missas in oratorio nullum habens, nisi „ ministrum suum. "

a) Can. 44. „ Missas die dominica saecularibus audire „ speciali ordine praecipimus, ita, ut ante benedictio- „ nem sacerdotis regredi populus non praesumat: qui „ si fecerint, ab episcopo publice confundantur. " Can. 17. „ Saeculares qui in Natali domini, pascha, „ pentecoste non communicaverint, catholici non cre- „ dantur, nec inter catholicos habeantur. " conf. *Vigorius* in assertione fidei catholicae ex quatuor prioribus Conciliis oecumenicis et aliis synodis, Tom. III. cap. 7. pag. 91. *Bocquillot* traité histor. de la liturg. liv. 2. ch. 7. *Bona* rerum liturg. lib. 1. cap. 14.

§. 5.

Quod autem tempore Gregorii M. in usu fuerint, Bona et Bellarminus variis rationibus stabiliunt. Nam meminit ipse hom. 37. in evang. Cassii narniensis episcopi in episcopii oratorio quotidie missas facientis, et l. 9. ind. 4. ep. 12. apud Thomassin p. I. lib. II. c. 93. n. 13. presbyteri pro solo fundatore, quin plebs reliqua adesset, sacra mysteria celebrantis. Verba sunt:

„ Pres-

„ Presbyterum quoque te illic constituere volu-
„ mus Cardinalem, ut, quoties praefatus con-
„ ditor fieri sibi missas fortasse voluerit, vel
„ fidelium concursus exegerit, nihil sit, quod
„ ad missarum sacra exhibenda solemnia valeat
„ impedire. " Nec leve indicium missae pri-
vatae praebet altarium multitudo in eadem ec-
clesia. Sic Gregorius M. lib. 5. epist. 50. ad
Palladium tredecim altarium in una ecclesia
mentionem facit.

§. 6.

Saeculo VII testimonium pro missis privatis
subministrat Concilium Toletanum XII. Cum
sacerdotes plures eadem die missas celebrarent,
et nonnisi in postrema communicarent; patres
congregati can. V. hunc abusum acerrime im-
impugnarunt. „ Relatum nobis est, quosdam
„ de sacerdotibus non tot vicibus cummunionis
„ sanctae gratiam sumere, quot sacrificia in uno
„ die videntur Deo offerre; sed in uno die,
„ si plurima per se Deo offerant sacrificia, in
„ omnibus se oblationibus a communione suspen-
„ dunt, et in sola tantum extremi sacrificii
„ oblatione communionis sanctae gratiam su-
„ munt. Quicunque sacerdotum deinceps di-
„ vino altario sacrificium oblaturus accesserit,
„ et se a communione suspenderit, ab ipsa,
„ qua se indecenter privavit, gratia commu-
„ nionis

„ nionis anno uno repulſum ſe noverit. Nam, „ quale illud erit ſacrificium, cui nec ipſe „ ſacrificans participaſſe cognoſcitur? Ergo „ hoc modis omnibus eſt tenendum, ut, quo- „ tiescunque ſacrificans corpus et ſanguinem „ Jeſu Chriſti Domini noſtri altario immolat, „ toties perceptionis corporis et ſanguinis Chriſti „ ſe participem praebeat.“ Canonem hunc refert Gratianus in can. *relatum* de conſecrat. diſt. 2, et invenitur Tom. 2. conciliorum Hiſpaniae, quae collegit Cardinalis de Aguirre pag. 685. Ad integritatem igitur ſacrificii ſolius ſaltem ſacerdotis communio vi hujus canonis eſt neceſſaria.

§. 7.

Liberam fuiſſe in eccleſia ſaltem latina communionem, teſtatur Theodorus cantuarienſis in Capit. n. 12. apud Dacherium in ſpicil. Tom. IX. pag. 53. „ Greci omni dominica die communicant, „ ſive clerici, ſive laici; et, qui tribus domini- „ cis non communicaverit, ex communicatur. „ Romani ſi militer communicant, qui volunt, „ qui autem noluerint, non excommunicentur.“

§. 8.

Hic ſtatus diſciplinae usque ad ſaeculum VIII, in quo miſſas privatas, quarum pauca exempla antiquitas ſubminiſtrat, pluries ab eo-

dem

dem presbytero celebratas legimus: Unicum testem adfero Wallafridum Strabonem de rebus eccl. cap. 21. „ Fidelium relatione virorum in „ nostram usque pervenit notitiam, Leonem „ papam (sicut ipse fatebatur.) una die septies „ aut nonies missarum solemnia celebrasse. "

§. 9.

Ne tamen missae privatae paroeciali obessent, ecclesiae praesules omni studio vigilabant. Theodulphus Aurel. cap. 45. mandat. „ Ut missae, „ quae per dies dominicos peculiares a sacer- „ dotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut „ per eas populus a publicis missarum solemnibus, „ quae hora 3tia canonice fiunt, distrahatur. " add. canon. 52. de consecr: dist. 1.

§. 10.

Aliud missae privatae genus saeculo nono apud monachos exortum ad presbyteros saeculares transivit (sicut Odo cameracensis in expositione canonis ad verba. „ Omnium circum- „ stantium, " et Stephanus Eduensis lib. de sacram. altaris c. 13. dicunt) puto nimirum *missas solitarias*, quae, ut primum invaluerant, a pluribus sunt improbatae. *Theodulphus Aurelianensis* in suo capitulari ad clerum. c. VII. ait. „ Sa- „ cerdos missam solus nequaquam celebret. „ Esse enim debent, qui ei circumstant, quas ille „ salu-

„ ſalutat, et a quibus ei reſpondeatur; et ad „ memoriam illi reducendum eſt illud domini- „ cum: ubicunque fuerint duo vel tres in no- „ mine meo congregati, et ego ſum in medio „ eorum. " Crodegangus metenſis epiſcopus in regula canonicorum cap. 77. apud Dacherium T. I. Concilum Moguntinum an. 813. can. 43. apud Hardium Tom. IV. col. 1007. et circa idem tempus pariſienſe l. 1. cap. 48. Nannetenſe apud Ivonem. part. 3. cap. 70.

conf. Van Eſpen. J. E. p. II. ſect. I. tit. 5. cap. 3.
Bingham orig. eccl. lib. 15. cap. IV. §. 4.
Bona de rebus liturg. lib. 1. cap. 13. num. 5.

CAPUT III.

Diſciplina aliquatenus reſtaurata, ſed mox remiſſa. --- Cauſae, cur miſſae privatae multiplicatae.

§. 1.

Memorabilis obvenit conſtitutio in capitularibus Regum francorum capit. l. 7. cap. 472. apud Balluzium T. I. col. 1130, qua diſciplinae veteris reſtauratio tentabatur. „ Placuit, ut omnes, qui in eccleſiam intrant, niſi a ſuo fue- „ rint

„ rint excommunicati sacerdote, communicent. „ Si qui autem hoc facere noluerint, tam diu „ a communione et christianorum consortio habeantur alieni, quamdiu per satisfactionem „ ecclesiae a proprio mereantur reconciliari „ episcopo, et sanctae restitui communioni.“ a) Sed remansit hoc capitulare inter pia ecclesiae desideria, cum an. 813. in Concilio turonensi b) disciplina remissa, et trina per annum communio laicis injuncta legatur.

a) Eadem sensa continet Epitome canonum, quam Hadrianus Carolo M. an. 774 tradidit can. I. „ Ut ministri „ altaris facta oblatione communicent.“ can II. „ Ut „ et laici ecclesiam ingressi communicent.“ Perinde jam est, an Hadrianus hunc codicem Carolo revera tradiderit, nec ne; sufficit (id quod omnes Canonistae affirmant) Carolum M. hoc codice in capitularibus varie usum fuisse. conf. *Petrus de Marca* de concord. sacerd. et imp, lib. 3. cap. 4. b) can. 50. „ Et, si non frequentius, vel ter laici homines communicent, nisi „ forte quis majoribus quibuslibet criminibus impediatur. — Non praetereundum aliud de missa privata testimonium in scriptura Angilberti, qui anno 814. obiit, de perfectione et dedicatione centulensis ecclesiae in chron. abb. centul. apud Dacherium Tom. IV. cap. XI. pag. 470. „ Illud etiam (ait Angilbertus) „ praecipua devotione mandamus, ut nulla dies praetereat absque sacrarum missarum decantatione; videlicet, ut, si non plus vel 30 a fratribus diversorum „ chororum per diversa altaria missae quotidie agantur, „ exceptis illis duabus de conventu, quae mane et meridie solemnissime celebrantur, in quibus quotidie

„ memo-

„ memoria St. papae Adriani, et gloriosi domini mei au-
„ gusti Caroli, conjugis et prolis ejus teneatur: quali-
„ ter juxta verbum apostoli pro Regibus et omnibus,
„ qui in sublimitate sunt constituti, salvatori Deo no-
„ stro obsecrationum et orationum gratias jugiter per-
„ solvamus. "

§. 2.

Quae tradita in Capitularibus disciplina, approbare videtur Jonas Aurel. apud Dacherium T. I. pag. 105. instit. laic. l. 2. cap. 18. Wallafridus Strabo cap. 22. „ Per totam missam pro
„ eis quam maxime et quasi nominatim oratur,
„ qui ibi offerunt atque communicant. Possu-
„ mus autem, et debemus, ut earum sancta
„ missarum celebratio non paucis, sed multis
„ prodesse credatur, dicere, caeteros et in fide,
„ et in devotione offerentium atque communi-
„ cantium persistentes ejusdem oblationis et com-
„ munionis dici et esse participes. Quamvis
„ autem, si soli sacerdotes missas celebrant,
„ intelligi possit, illos ejusdem actionis esse coo-
„ peratores, pro quibus tunc ipsa celebrantur
„ officia, et quorum personam in quibusdam
„ responsionibus sacerdos exequitur: tamen
„ fatendum est illam esse *legitimam* missam, cui
„ intersunt sacerdos, respondens, offerens at-
„ que communicans; sicut ipsa compositio pre-
„ cum evidenti ratione demonstrat. "

§. 3.

Variae ſunt cauſae, quibus hoc aevo miſſae privatae fuerunt auctae. 1) Creſcebat hoc tempore ſacerdotum monachorum, a) et ſaecularium b) numerus, qui, ut facilius offerrent, oratoria c) et altaria d) augebantur. 2) Cum populi, qui obtulerat, communio deſiiſſet, atque ad uſum celebrantis modica panis particula ſufficeret; oblationum forma ſenſim mutata, et (ut ait Honorius Auguſtod. in gemma animae c. 66) pro oblatione panis, ſeu farinae et vini populus denarios e) offerre coepit. --- Hinc factum, ut privati quique ob modicam ſtipem miſſas ſibi celebrari averent. -- Hinc populi opinio, cujus teſtis et impugnator eſt Wallafridus Strabo cap. 22. f) et Eugenius papa in Concilio Romano an. 826. cap. 17. g) radicem egit, quod celebrans Miſſae fructum vel limitare, vel totum uni applicare, vel pro ſua intentione ſemper efficaciter impetrare poſſit. --- Hinc ſparſa opinio, quam rejicit Jonas aurel. de inſtit. laic. l. 3. c. 15, noniſi eleemoſynis, quae in manus presbyterorum ad ſacrificium deponerentur, defunctorum animas poſſe juvari. -- Hinc tot fundationes, ſicut. v. g. Ludovicus imperator an. 871. in privilegio monaſterio piſcarienſi conceſſo apud Dacherium Tom. V. juſſit, quotidie tres miſſas pro ſe celebra

lebrari. --- Quibus causis in ingentem numerum missae privatae excreverunt. 3) Denique ipsis ecclesiae statutis crebra missae celebratio fuit commendata. Sic synodus Ticinensis an. 855. cap. 2. decernit. „ Ut non tantum dominicis „ diebus et praecipuis festivitatibus episcopi „ missas celebrent, sed, cum possibile fuerit, „ quotidiana quoque sacrificia celebrent. "

a) In litteris monachorum S. Remigii, quibus societatem ineunt cum monachis S. Dionysii in francia anno 838 apud Dacherium Tom IV. Subscriptos numeravi 33 sacerdotes monachos. Tenor conventionis est. „ Volumus, ut tales inter nos et supradictos fratres nostros fervor charitatis, et tanta vis dilectionis maneat, ac si uno, si fieri posset, conversaremur loco. „ De caetero, ut quando aliquis ex ipsis corporis nexibus absolutus a saeculo migraverit, unusquisque nostrum infra 30 dies psalterium pleniter compleat ac „ sacerdotes nostri missas eidem psalterio congruentes „ pro eo celebrare audeant; et tres Vigilias, id est, primo et septimo, atque tricesimo die communiter pro „ eo et devotissime peragamus, etc. "

b) Ditiores sibi sacellanum comparabant, qui pro commoditate et lubitu ipsis sacra celebraret. — Quam frequentes, quamque indigne a suis Dominis saeculo IX. tales sacellani habiti fuerint, discimus ex testimonio Agobardi archiepiscopi lugdunensis in tract. de privilegio et jure sacerdotali cap. 11. et Concilio ticinensi apud van Espen. p. II. sect. I. tit. 5. cap. 8.

c) Oratoriorum tam frequens erat usus, ut constitutione speciali illum Carolus M. restringendum putaret. Permisit

misit quidem. „Ut, qui in domo sua oratorium habue-
„ rit, ibidem orare possit, missas tamen sine permissu
„ episcopi loci celebrare non audeat.“ Capitular l. V. cap. 383. et lib. III. cap. 102. apud Balluzium Tom. I. conf. can. 33. 34. 35. de consecrat. dist. 1. Capitulare Theodulphi Aurel. apud Hardiun Tom. IV. Jonas Aurel. inst. laic. l. 1. cap. 11. apud Dacherium Tom. I. pag. 33.

d) Altarium numerus adeo augebatur, ut Carolus mandaret „altaria ne superflua fiant in ecclesiis.“ — e) Eleemosynae pecuniariae mentionem facit Crodogangus in regula Canonicorum cap. 32. — Quam tristes ex mutata disciplina sequelae fuerint, describit *Huber* in seiner dringenden Vorstellung an die Religion wider die Halbguldenmesse und Prestermiethe S. 16—67. Benedikt Poiger kurze Abhandlungen über wichtige Religionsgegenstände. 1. B. S. 138.

f) „Sed et in hoc error non modicus videtur, quod qui-
„ dam se non posse aliter plenam commemorationem fa-
„ cere eorum, pro quibus offerunt, nisi singulas obla-
„ tiones pro singulis offerant; vel pro vivis et defune-
„ tis non simul aestimant immolandum, cum simul sciamus,
„ unum pro omnibus mortuum et unum panem esse, et
„ sanguinem, quem universalis tenet ecclesia. Quod si cui
„ placet pro singulis singulatim offerre, pro solius devotio-
„ nis amplitudine et orationum augendarum devotione id
„ faciat, non autem pro stulta opinione, qua putet, unum
„ Dei sacramentum non esse generale medicamentum.“

g) „Presbyteri nullius blandiantur, aut suadeant, sermo-
„ nibus, ut *non omnium* ad se concurrentium in *qui-*
„ *buslibet sacris* locis oblationes ad missarum solemni-
„ tates recipiant: quia cum mediatores Dei hominum
„ que existant, in exercendis Votis relaxandisque pec-
„ catis largissimam debent orationem peragere.“

CAPUT

CAPUT IV.

Continuatio historiae usque ad tempora novatae religionis.

§. 1.

Consuetudo, ut pluries uno die sacerdotes offerrent, continuabatur saeculo X, sicut legitur in Vita Udalrici a Marco Velsero edita cap. 15. apud Baronium ad annum 940. n. 4 et 6. de S. Mauritio. „ Missas autem tres, vel „ duas, aut unam secundum spatium temporis „ (in ecclesia monasterii Agaunensis) cantare „ quotidie non desiit, si infirmitas corporis, „ aut aliquod studium bonum ei non subtraxit. " Ne tamen missae trinum numerum excederent, sancitum est in legibus ab Edgaro Rege conditis apud Fleury hist. eccl. lib. 57. §. 29. „ Nullus „ sacerdos missam saepius in uno die, quam ter „ ad summum celebret. " Repetita quoque contra missas solitarias statuta habemus apud *Attonem Vercellensem* episcopum in capitulari cap. VII. (apud *Dacherium* Tom. VIII.) et *Ratherium Veronensem* in synodica ad presbyteros apud *Dacherium* Tom. II. pag. 261.

§. 2.

Attingo jam saeculum XI, in quo non tam quaestio habenda de existentia a) missae privatae, quam de abusibus, qui corrigendi. Ferrea

rea profecto tempora, quae, vix crederem, omni sua stupiditate usa fuerunt, ut SS. missae sacrificium turpissime dehonestarent! Pugnavit contra illos, qui pluries uno die celebrabant Concilium seligenstadiense c. V, Alexander II in can. *sufficit* de consecrat. dist. 1. „Sufficit sacerdoti unam missam una die celebrare, quia Christus semel passus est et totum mundum redemit; et valde felix, qui unam digne celebrare potest. Qui vero pro pecunia aut adulatione praesumit, plures missas celebrare, non aestimo evadere damnationem. „ Honorius Augustod. ait „ semel in die debet missa ab uno „ sacerdote celebrari; sicut et Christus semel „ voluit immolari. " Damnavit dictum concilium can. 10. -- illorum abusum, qui missas pro divinatione adhiberi posse credebant.

a) Cluniacensis abbatiae consuetudines, quae circa annum 1070. conscriptae apud Dacherium Tom IV. pag 149. de illis aperte agunt. „ Si missam privatam (sacerdos) „ cantare voluerit, innuit converso cum signo crucis; „ quod est signum missae cantandae. . . . Sacerdos autem primo manus lavat et tergit, mittit hostiam „ cum cocleari super patenan etc. Inde missam inci- „ piens, totum cantum, qui ad eam pertinet, pro „ edicto patrum nostrorum magis indirectum, quam „ unquam audeat cantare. " Conf cap. XXX. p. 193, in quo discrimen sit inter corporalia et calices, qui ad missas majores aut privatas destinati. et cap. XXXV. pag 154. — Auctor est Udalricus nobilitate et sanctitate clarus. At non eo, quo collegit ipse tempore, illas consuetudi-

tudines primum conditas, ſed a multis retro temporibus uſu fuiſſe receptas, legenti pateſcit. conf. *Dacherius* in praef. ad Tomum IV. pag. 6. —

§. 3.

Praecipue autem ſaeculo XII, in quo, adnotante Mabillonio, ſtipendiorum uſus communior evaſit, novi exorti ſunt abuſus, qui epiſcoporum ſollicitudine damnabantur. Concilium londin. an. 1200. c. 2. denuo ſtatuit. „ Non liceat presbytero bis in die celebrare, niſi neceſſitate urgente" et, ut avaritiam aut lucri cupidinem coerceat, can. 4. addit. „ Id adjiciamus ad ſacerdotum cupiditatem reſecandam, ut miſſae non injungantur in poenitentia his, qui non fuerint ſaberdotes." Concilium eboracenſe an. 1194. quaevis pacta circa pretium pro miſſae celebratione conſtituendum prohibet, „ ne ſacerdos aliquis pro celebratione miſſarum pretio conſtituto pactum ineat, „ ſed haec duntaxat, quod offertnr in miſſa, „ recipiat."

§. 4.

Alium abuſum impugnavit Petrus Cantor de Verb. abbrev. c. 27. 28. 29. quod ſacerdotes nonnulli, ut plura ſimul ſtipendia acciperent, ſub una conſecratione plures miſſas celebrarent, duas vel tres miſſas in unam congerendo. Sic

anno 1191. quendam eremitam ſub uno canone 4 miſſas celebraſſe refert, *Thomas Cantipratenſis* lib. I. de actib. cap. 3. n. 9. *Martene* Tom. III. Collect. amp. vet Monum. col. 1224. Has miſſas, quae barbaro vocabulo *bifaciatae*, *trifaciatae*, bicipites, aut tricipites vocabantur, damnavit Concilium pariſienſe an. 1212. a) Memoranda adhuc miſſa, ſic dicta, *ſicca*, quae multis abuſus videtur. Hujus ritum tempore ſuo uſitatiſſimum deſcribit Durandus in rational. lib. 4. cap, 1; in qua nimirum introitus, epiſtola, evangelium etc. ſine Canone recitabantur. Illius uſum eſſe prorſus illicitum, quia continet falſitatem in facto et in verbo, ſcribit Sylvius; in facto, quia ſacerdos ſimulat omnia, quae ſunt celebrantis, nec tamen celebrat, aut ſacrificium offert; in verbo, quia recitantur orationes, quae promittunt ſacrificium et aguntur gratiae, quaſi illud oblatum ac ſumtum eſſet. b) Hunc abuſum damnavit Concilium pariſienſe an. 1212. c. II, Cameracenſe II. tit. 3. cap. 7. Interim non deſunt theologi, qui ejusmodi ritum aeque inoxium defendunt, ubi ſciente epiſcopo retinetur; ac inoxius eſt uſus miſſarum praeſanctificatorum, quae apud graecos per totam quadrageſimam, apud latinos in die paraſceves celebrantur. — Miſſam, quae in feſto fatuorum celebrata, et jam an. 1198 ab Odone de Soliaco proſcripta, nimis

nimis puerilem lusum et scenicam turpitudinem sapit; quam ut, illam describere operae pretium esse ducam. c) Gemit et plorat de corrupto hoc statu Petrus Blesensis in epistola ad Richardum episcopum londinensem apud *Fleury* hist. eccl. lib. 75. §. 18 „ Video hodie, quod „ erumpentibus lacrimis dico, inumerabilem „ multitudinem hominum illiteratorum, et se„ cundum legem carnis viventium, eminentissi„ mo ministerio appropinquare; video, in„ quam, sacerdotum multitudine sacramenti di„ gnitatem vilescere. "

a) Gavantus Thes. T I. pag 39. *Bona* lib. 1. cap. 15. §. 7. *Du Fresne* in Gloss Verb. Missa. *Bingham* orig. eccl. lib. 15. cap. 4. b) *Natalis Alexander* theolog. dog. mor. Tom. III. pag. 437. Bona l. 1. c. 15. Huber l. c. §. 42. Selvag. antiq. Christ. inst. l II. part. II. c. III. c) De illa fuse agit *Natalis Alex.* hist. eccl. et *Pilati* pag 207. Plures hujus generis missas collegit *Martene* de antiq. eccl. rit.

§. 5.

Quousque sequenti saeculo abusus excreverint, documenta ecclesiastica edocent. — Qui fortunam prosperam optabant, et laetos conatibus suis eventus, soluto stipendio missam sibi fieri curabant; et erant saberdotes, qui tanquam opificium quoddam, unde vitam traducerent, actionem sacrificandi exercebant. Alii, licet

cano.

canones ecclesiastici obstarent, pluries in die celebrabant, quibus se opposuit synodus lambethana an. 1206. c. 3. apud Harduin P. I. T. VI. col. 1974. „ Bis in die missam nullus celebrare „ praesumat, nisi in diebus nativitatis et resur- „ rectionis Domini, et quando corpus in pro- „ pria ecclesia fuerit duntaxat tumulandum. " Herbipolensis an. 1287. tit. de celeb. miss. c. 7. apud Harduin T. VII. col. 1134, Coloniensis an. 1280. c. 1. apud Harduin T. VII. col. 82, Bajocensis an. 1300. c. 15. apud Harduin Tom. VII. col. 1228, Wigorniensis an. 1240. cap. 26. apud Harduin Tom. VII. col. 340, Oxoniensis an. 1222. c. 6. apud Harduin T. VII. col. 116, Rotomagensis an. 1231. can. 14. apud Harduin l. c. col. 186, Nemausensis an. 1284. apud Harduin Tom. VII. col. 917. tit de celebr. miss. Alii vi aut pactis missarum annalia amorientibus sibi extorquebant; cumque defungendis tot missis pares non essent, aut alios sacerdotes adhibebant, aut missas siccas recitabant, quibus obviavit Concilium parisiense 1212. can. 11.

„ Prohibemus, ne pro annualibus, vel „ septennalibus missarum faciendis, laici, vel „ alii dare aliquid, vel legare in testamento co- „ gantur, et ne super his aliqua pactio, vel „ actio vera, vel sub aliqua specie palliata, a „ sacerdotibus, vel aliis mediatoribus fiat: et

„ ne

„ ne ſuperflua multitudine talium annalium ſe
„ onerent ſacerdotes, ad quae explenda honeſte
„ ſufficere non poſſint, et propter quae ip-
„ ſos oporteat habere conductitios ſacerdotes,
„ vel ea vendere aliis facienda, ut ſe exone-
„ rent, ſiccas miſſas faciant pro defunctis. "
Conſtitut. provincial. S. Edmundi cantuarienſis archiepiſcopi an. 1236. cap. 8. apud Harduin Tom. VII. col. 269.

§. 6.

Cum magis refrixiſſet Chriſtianorum fervor, conſultum viſum eſt Concilio lateranenſi IV. an. 1215. cap. 21. apud Harduin Tom. VII. col. 35. magis remittere diſciplinae rigorem, in quo una communio paſchalis tanquam ſufficiens admiſſa fuit. „ Omnis utriusque ſexus fidelis poſt-
„ quam ad annos diſcretionis pervenerit, om-
„ nia ſua ſolus peccata confiteatur fideliter,
„ ſaltem ſemel in anno proprio ſacerdoti: et
„ injunctam ſibi poenitentiam ſtudeat pro viri-
„ bus adimplere, ſuſcipiens reverenter ad mini-
„ mum in paſcha eucharistiae ſacramentum. "

§. 7.

Saeculo XIV. contra paſtorum avaritiam, qui deteſtanda lucricupidine oves ſuas tonde-
bant,

bant, repetendi erant canones ecclesiae. Hinc patres Concilii Toletani cap. 6 et 7. statuerunt. „ ne presbyter pro missis celebrandis pecuniam „ exigat, vel rem aliam temporalem, sed grate „ accipiat, si aliquid per facientem missas ce- „ lebrari oblatum sibi charitative fuerit absque „ pacto, vel conventione quacunque.“ Canone seq. vetantur prebyteri saepius, quam semel die quolibet, excepto Natalis Domini die celebrare — et quater saltem per annum sacra facere jubentur. Pulcherrime genium illius aetatis describit Thomasinus Part. III. l. 1. cap. 73. n. 1. Nec jam miremur, ait, si tam segnes et pigritantes presbyteri missarum solemnia celebrare cunctarentur, et refugerent, nisi oblata a laicis mercede allicerentur. Nec enim jam primaeva illa verecundia et religio hos retardabat a frequenti vel communione, vel celebratione missarum: sed segnitia illos et stupor ab altaribus abducebat, abmovebat pecuniae cupiditas. . . . Rarius in euntis ecclesiae temporibus celebrabant, et in unam hostiam omnes sacrifici conspirabant, religioso horrore terrifici sacrificii. Postea teneritudo quaedam charitatis eo pervasit, ut singuli singulis diebus saepius mysteria celebrarent. Tertia denique aetate horrori fuere presbyteri avaritiae facibus ardentes, qui ea pluries celebrandi libertate abu-

teren-

terentur, ut thesauros iniquitatis sibi aggerarent. Quibus ea successere tempora tristissima, ubi extincta charitatis flamma abstinuerunt se longe plurimi a celebratione sacrificii, nisi eo illicerentur, vel mercede proposita, vel fundationum necessitate.

§. 8.

Concilium Trevirense an. 1310. cap. 72. jubet. „ Ne quis sacerdos in alterius ecclesia vel parochia diebus dominicis et aliis solemnitatibus „ missas publicas celebrare praesumat, donec „ rector, Vicarius, vel capellanus missam celebraverit: tum et secundum canonicas sanctiones nulli sacerdoti liceat missas peculiares sive „ privatas dicere, per quas populum a publicis „ missarum solemniis, quae hora debita fieri „ consueverint, talibus diebus distrahat. " Conf. Concilium Ravennense can. 12. apud Fleury hist. eccl. lib. 92. §. 37.

§. 9.

Monachorum praesertim Mendicantium studio jam fiebat, ut missae privatae in neglectum parpecialis adhiberentur. Ut ordinis sui authoritatem extollerent, oves ab ovili distraherent; contra tenorem veterum canonum a) praedicabant. „ Fideles, ubi pro devotione sua mallent,

„ diebus

„ diebus dominicis et solemnibus missam posse „ audire, neque hanc libertatem ipsis a syno- „ dalibus constitutionibus adimi posse. " Hanc opinionem ut falsam quidem rejecit synodus Basileensis apud Harduin Tom. IX. col. 1191, sed mox novi oriebantur motus, quos Sixtus IV. edita b) constitutione: *Vices illius* rel. in *extrav.* 2. *de treug. et pac. int. comm.* composuit. — Eadem synodus sess. 21. can. 8. apud Harduin Tom. VIII. col. 1198. abusum aliquarum ecclesiarum, in quibus missa privata sine ministro, aut per secretas orationes ita submissa voce dicebatut, ut a circumstantibus audiri non posset, condemnavit.

a) Statuta ecclesiae praesertim eo tendedant, ut missae paroeccialis authoritatem defenderent. Hinc Gregorius M. lib. 4. epist. 41. in monasteriis missas publicas fieri prohibuit; et Concilium Nannetense can. 1. statuit. „ Ut dominicis et festis diebus presbyteri antequam „ missas celebrent, plebem interrogent, si alterius pa- „ rochianus in missa sit, qui proprio contempto pres- „ bytero ibi missam velit audire. Quem si invenerit; „ statim ab ecclesia ejiciant, et ad suam parochiam „ redire compellant. " Fusius haec patractant *Van Espen* part. II. sect. I. tit. 5. cap. 2. *Weber* diss. de missa paroeciali. treviris 1779. *Petrus Ludwig* diss. de eo, quod circa missam parochi audiendam justum est. Bambergae et Wirceburgi 1783. b) Edita est haec constitutio speciatim ad querelas nostri Dietheri Moguntini, archiepiscopi Trevirensis, electoris palatini, aliorum- que;

que; adeoque in noſtra archidioceſi haud dubie fuit acceptata; neque tamen optatum effectum habuit. —

§. 10.

Variae cauſae effecerunt, ut etiam hoc temporis intervallo miſſae privatae multiplicarentur. Nam augebantur mirum in modum familiae religioſae, fundationes, oratoria; oriebatur titulus paupertatis, et ex occaſione cujusdam decreti concilii lateranenſis an. 1179 ſub Alexandro III can. 5, titulus patrimonii; unde ſacerdotes, et hinc miſſae privatae copioſiores reddebantur; praeſertim cum Clemens V. an. 1311 omnes monachos a) adordines ſuſcipiendos obligaret, ut miſſam in honorem Dei poſſent celebrare.

a) Pilati l. c. pag. 113.

CAPUT V.

Motus circa miſſas privatas tempore mutatae in germania religionis – tentata pacis conſilia – deciſio tridentini.

§. 1.

Non uno ſtatim tempore ſyſtema ſuum expoſuit Lutherus; ſed, cum abjecta eccleſiae authoritate in dies in praeceps rueret, ſucceſſive

ab

ab exaggeratis abusibus ad dogmata ipsa impugnanda transibat. Historia missae privatae, quam subnecto, id ipsum confirmat.

Absente Luthero in Pathmo sua, Augustiniani Wittembergenses anno 1521. missam privatam, cum ipsis videretur execrabilis coenae dominicae abusus, et institutioni Christi contraria, requisito Electoris et facultatis theologicae consensu, a) abrogandam censebant, b) quos 1522 Francofurtum c) aliaeque urbes secutae. Hunc ausum, quem speciali libello d) confirmarat Lutherus, mox improbavit, *non, quod hoc impium fuerit patrare, sed quod non recte ordine actum.* e) Missas quidem singulares abrogandas putat, sed id absque proximi offendiculo suscipiendum: Precibus, ait, incipiendum — magistratus adsciscendus — proponenda sanctulorum hypocrisis — describendae blasphemiae, quae in missis continentur, quo pacto missa sensim abrogabitur.

a) Bedenken etlicher gelarten der Universität zu Wittemberg von der Privat-Messe. Extat im 9ten Theil der Bücher Luthers fol 134. b) Annal. Abrahami Scultetti apud von der Hardt historia literaria reformationis P. V. pag. 40. *Seckendorf* comment de Lutheranismo lib. 1. pag. 214. c) *Seckendorf* l. 1. pag. 243 Chitraei Cont. Kranzii. 203. d) Vom Misbrauch der Messen (im 7ten Theil der Bücher Luthers Wittemberg 1572) fol.

fol. 264. e) Haec innuit in sermone 1521 habito T. VII. oper. edit. latin. pag. 274 et 275 et prosequitur in alio l. c. pag. 276.

§. 2.

Anno 1522 in centum gravaminibus Romam missis status imperii potissimum saeculares longam abusuum enarrationem faciebant, quorum medelam a pontifice expectabant. Ad statum meae quaestionis spectat gravamen 72 apud *Hortleder*. Von den Ursachen des deutschen Krieges 1. B. 1. Kap. S. 21. „ Wie wohl die Weltlichen viel Pfarrer bei ihnen gestiftet, und gewöhnlich dermassen begabet, daß sich fromme, geistliche, besserliche Seelsorger davon ehrlich, stattlich und wohl erhalten sollten und möchten, auch sonderlich die heil. Sacramenten zu verkaufen hoch verbotten sind, so werden doch dieselben Pfarrleut, mit Reichung der Sacrament des Altars und der Tauf, auch der todten Begängnuß, Seelgeret, Beichtgeldt, Begräbnuß und andern vielen Sachen von den Pfarrherren und ihren Vicarien, Viceplebanen, Caplanen- und Pfarrherrs-Gesellen gar umb viel Geldts bedranget und hochbeschweret. . . . Dabei nöthigen sie die Armen, so ihren Freunden den ersten, den siebenden, dreißigsten, und Jahrzeit, auch

„ Gedächtnuß auf den Kanzel nachzuthun nicht
„ Vermögen, von gesungenen und gelesenen Messen,
„ Geld zu geben. Daraus sie dann nicht wenig
„ sondern merklich, Geld lösen, wann sie ihre Meß
„ nicht allein einfach oder zwyfach, sondern oft
„ dreifach, vierfach, oder noch mehr Verkaufen,
„ und zwey oder drey lehen, mit einer Meß zu ver=
„ dienen gedenken. "

§. 3.

Quamvis autem in eodem conventu status imperii se curaturos promiserant, ne (usque dum synodus celebraretur) *Lutherus et sui sectatores aliquid amplius scribant, aut typis excudi faciant*, ipse tamen varia scripta a) edidit, in quibus partim ex abusibus, partim ex novitate missas privatas impugnabat. b)

a) Pertinet huc liber, quem 1523 edidit. Wider die himmlischen Propheten (extat in anderen Theil der Bücher Luthers Wittemberg 1569) — 1524. Wie man die Diener der Kirchen wählen und einsetzen soll, 7. Th. fol. 351. Eine Weise christliche Messe zu halten und zum Tisch Gottes zu gehen, an die christliche Gemeinde der löblichen Stadt Igla gelegen in Mähren 7. Theil, fol. 366. — Deutsche Messe und Ordnung des Gottesdienstes 7. Th. fol. 370. — Anno 1525. Ordnung und Bericht, wie es mit jenen, so das hochwürdigste Sacrament empfangen wollen, soll gehalten werden. 7. Th. fol. 375. An den weisen Lazarum Spengler zu Nürnberg von der Winkelmesse 9. Th. folg. 282.

b) Und

b) Unicum locum adfero ex scripto: Bekenntniß des Glaubens D. Mart. Luthers 1529. 6. Th. fol 153. „ Vor allen Greuel säh ich die Messe so für ein Opfer, „ oder gut Werk gepredigt und Verkauft wird, darauf „ denn jezt alle Stifte und Klöster stehen, aber ob „ Gott, bald lüaen sollen. Denn wiewohl ich ein gro„ ser schwerer schändlicher Sünder bin gewesen, und „ meine Jugend auch verdammlich zugebracht und ver„ lohren hade, so sind doch das meine gröste Sünden, „ daß ich so ein heiliger Mönch gewesen bin, und mit „ so vielen Messen über 15 Jahr lang meinen lieben Hrn. „ so greulich erzürnt, gemartert und geplaget habe. „ Cum hac confessione consonant articuli Schwabacen„ ses an. 1529. art. 16. " Das vor allen Greu'in die Meß so bisher für ein Opfer oder Werkh gehalten, damit ains dem andern Genad erwerben wollen abzuthun seyn, vnd anstatt solliche Meß ein gottliche Ordnung gehalten werd', das heil. Sacrament des Leibs vnd pluts Christi baide Gestalt zu raich'n ainen yglichen vf seinen Glauben vnd zu' sainer Nothdorft Conf. *Weber* Beilagen zum ersten Theil der kritischen Geschichte der Augsburgischen Confession.

§. 4.

Post conventum Spirensem an. 1529, in quo novatio quaelibet circa religionem, et praesertim missae a) abolitio (usque dum synodus celebraretur) prohibita, in comitiis Augustanis an. 1530. celebris confessio a protestantibus Caesari tradebatur. Emollitis, quantum fieri potuit, opinionibus *Lutheri*; praeterita sacrificii notione, quae litem movere potuisset, totum articu-

lum de missa b) moderato stilo conscripsit Melanchton. c) Sed mox opposita fuit refutatio, in qua praeter alios articulos et ille de missa erat repudiatus. d) „ Affirmabatur, „ missam esse sacrificium pro vivis atque mor- „ tuis, neque debere missam privatam abro- „ gari: Danielem multo ante praenunciasse „ fore, cum Antichristus venerit, ut sacrifi- „ cium aboleatur: hoc quidem nondum acci- „ disse, verum tamen in iis locis, ubi missa „ jacet, altaria destruuntur, exuruntur status, „ quibus in templis nihil cantatur, nihil legitur „ nulla lucent amplius luminaria, ibi nimirum „ jam praesentari prophetae Vaticinium: itaque „ cavendum esse diligenter omnibus, ne cau- „ sam praebeant adventus Antichristi. "

a) Acta refert Joachim Müller Historie von der evangelischen Stände Protestation und Augsburgischen Confession S. 28.

b) 9. Th. der Bücher Luthers fol. 312. oper. om. Melancht P. I. pag. 33. „ *Retinetur etiam missa apud nos,* „ *et summa reverentia celebratur. Servantur et usitatae* „ *ceremoniae fere omnes, praeterquam, quod latinis con-* „ *cionibus admiscentur germanicae, quae additae sunt ad* „ *docendum populum. . . Cum autem missa sit . . commu-* „ *nicatio sacramenti; servatur apud nos una communis* „ *missa singulis feriis atque aliis etiam diebus, si qui sa-* „ *cramento velint uti, ubi sacramentum porrigitur his,* „ *qui petunt.* " Missas autem privatas, quae in antiquis monumentis incognitae, et nonnisi mercedis gratia cele-

celebrantur, putat omnino esse abrogandas. c) Causam, qua missae privatae in infinitum auctae, Melanchon l. c. nominat opinionem, quod Christus passione sua satisfecerit pro peccato originis et missam instituerit, in qua fieret oblatio pro quotidianis delictis, mortalibus et venialibus. Hinc, ait, manavit publica opinio, quod missa sit opus tollens peccata vivorum et mortuorum ex opere operato. Hic coeptum est disputari, utrum una missa dicta pro pluribus tantundem valeat, quantum singulae pro singulis. „ d) *Sleidanus* comment de statu reiigionis lib. VII. pag. 188. — Kurzer Auszug der fürnemesten Stücke... Von etlichen Gelarten unter dem offentlichen Verlesen verzeichnet 9. Th. der Bücher Luthers fol. 422. „ Sonderlich Meß abzu„ thun ist nicht zu leiden, denn dadurch die Stiftung „ verwüstet, Gottesdienst geschmelert den Seelen ir „ Trost genommen würde. " Fusius haec refutatio legitur in harmonia confessionis Augustanae studio *Andreae Fabricii Leodii* (Coloniae 1573) pag. 469. seq.

§. 5.

Post multam actionem, dum idibus Augusti utrimque delecti fuerant, qui concordiae rationes inirent, concedebant protestantes, quod sacrificium missae solemni ritu a) atque praescriptis ceremoniis celebrari posset; quoad missas autem privatas, quas catholici b) defendebant, nihil effectum, cum Lutherus variis scriptis c) unionem circa hoc punctum difficilem reddidisset, et suum circa missas privatas sistema in apologia confessionis d) Melanchton magis exposuisset.

 a) *Cons.*

a) *Cont. Fleury* lib. 133. §. 26. *Sleidanus* l. c. pag. 190. Documentum extat im 9ten Theil der Bücher Luthers fol. 445. „ Ferner so sind die Messen in unsern Fürstenthumen und Gebiethen bisher in gewohnlichen „ Kirchenkleidern gehalten worden Und nach dem die „ Messe vermoge unsers Bekenntniß in unsern Fürstenthumer und Gebieten mit jren Substantialen, auch „ gewonlichen Ceremonien nach einsetzung Christi ehrlich „ gehalten worden, so soll man mit Gotteshülfe darob „ seyn, daß sie auch ferner mit gebührlichen Ehrenbietung gehalten werden. b) Conf unbeschlißliche, unvergreßliche christliche Mittel 9 Th. der Bücher Luth. „ Fol. 443 " Daß die gemeine und andere Privatmessen in gewonlicher Kleidungen auf den Altaren mit Einschliessung des großen Canons, wie bisher in gemeinen christlichen Kirchen deutscher Nation und ihren Gebieten von altem her, im Gebrauch und Uebung gewesen, gehalten werden. c) Ermahnung an die Geistlichen versammelt auf dem Reichstag zu Augsburg art. Von der Verkauf- oder Winkelmesse 7. Th. Fol. 416. Etliche des hochgelahrten Hrn. D. M. Luthers Bedenken über etliche streitige Artikel 9. Th. Fol. 394. Bekenntniß christlicher Leere art. 16 9. Th. Fol. 401. Epistola ad electorem saxoniae 9 Th. Fol. 452. d) 9. Th. der Bücher Luthers Fol. 373 Oper. omn. Melancht. Part. I. pag 108 — Asserit ecclesiae suae disciplinam cum illa catholicorum consentire, cum et graeci unicam missam idque tantum dominicis et festis diebus celebrent. — Impugnat autem missas privatas quae postquam mendicantes regnare coeperunt, ex falsissimis opinionibus et propter quaestum auctae — praesertim pag. 109. ideam sacrificii rejicit, cujus simul definitionem subnectit. „ *Sacrificium, ait, est ceremonia vel opus, quod nos Deo* „ *reddimus ut eum honore afficiamus.* " *Illius duae sunt species aliud est propitiatorium i. e. reconcilians Deum,*

seu

ſeu placans iram Dei, ſeu quod meretur aliis remiſſionem peccatorum. Unicum tantum fuit ſacrificium propitiatorium, videlicet mors Chriſti. Aliud Ευχαριστικον, quod ſit a reconciliatis, ut pro accepta remiſſione peccatorum et aliis beneficiis gratias referamus — cui et miſſa accenſenda.

§. 6.

Omnia argumenta contra miſſas privatas cumulata legimus in libro de *Miſſa privata et unctione ſacerdotum* (in quo celebris habetur Lutheri cum daemone diſputatio) qnem 1534 Juſtus Jonas e germanico in latinum tranſtulit. a) Vel in miſſis corpus Domini adeſt vel non; in utroque caſu magna culpa eſt penes miſſatores. Si enim tantum adeſt panis et vinum, ut dubia res eſt, ipſi ſunt maximi impoſtores, qui Chriſtianis panem et vinum pro Chriſti corpore et ſanguine adorandum propoſuerunt, et ſacrificium tanquam Dei cultum vendiderunt, quo remiſſio peccatorum contingere, liberari e purgatorio animae, et quaevis calamitates tolli poſſent. b) Si adeſt corpus Chriſti, ſacrilegi ſunt, cum ſoli ſacramentum ſumant, quod juxta inſtitutionem reliquis Chriſtianis eſt porrigendum. Quia incertum eſt, an miſſa privata ſit verbo Dei inſtituta, an mera traditio humana, credendum non eſt, corpus et ſanguinem Chriſti adeſſe; quia fides nec in incerto pendere, nec

vacillare, ſed verbo Dei niti debet. Alias ad huc rationes addit Lutherus, cur laicus praeferrim credere non debeat, adeſſe corpus Chriſti. Ille, ait, ſemper dubius eſt, an miſſator ille privatus conſecrarit, an non; neque facile poteſt certus fieri. Nam verba conſecrationis non audit; et, ſi miſſator fateatur, ſe verba conſecrationis pronuntiaſſe; tamen non poteſt ei tuto credi, quia Deus mandavit, etiam in cauſis politicis unius dictis non credi debere, quanto minus poteſt in tantis cauſis, ubi agitur de vita aeterna; imo, ſi laicus etiam certus eſſet, ſacrificulum verba conſecrationis pronuntiaſſe, quomodo certus erit, quod in fide pronuntiet? Qui veram igitur fidem Chriſtianam habet, ille non poteſt audire miſſam privatam, multominus ipſe celebrare; cum ferre is non poterit, ut miſſa pro ſacrificio habeatur. Si quis non in aqua, ſed aſperſo cinere, non in remiſſionem peccatorum, ſed pro treſſera, qua diſcerneretur populus a populo, baptizaret; ibi non peccaretur ſolum contra baptiſmum, ſed et inverteretur totus baptismus et inſtitutio Chriſti; ergo ibi non eſſet baptiſmus: ergo nec in miſſa privata credendum eſt, adeſſe ſacramentum, cum deſit ordinatio Chriſti. Eadem ſenſa leguntur in articulis ſmalcaldenſibus anno 1537. 4. Th. der Bücher Luthers Fol. 418. c)

a) Extat

a) Extat Tom. VII. edit. latin. Vitebergae 1557. pag. 227. seq

b) Non objici sibi sinit Lutherus, quod patres tales missas celebrarint. Nam in vita aut operibus patrum, ait in certamine conscientiae nemo tuto nitetur, sed verbo Dei fidendum. c) *Seckendorf.* com. de Luth. lib. III. pag. 154.

§. 7.

Neque catholici defuerant, in re sua scriptis defendenda. *Henricus VIII.* in assertione septem sacramentorum pag. 47. *Joannes* Rossensis episcopus in defensione regiae assertionis contra babylonicam captivitatem. *Joannes Eckius* de sacrificio missae. *Clichtovaeus* doctor parisiensis in Antiluthero lib. 2. cap. VIII. *Joannes Cochlaeus* Franckofurti ad St. Bartholomaeum decanus, dein hic Moguntiae ad St. Victorem Canonicus libro: Von der Winkelmesse und Priesterweih; qui quidem foecundus scriptor ab anno 1521 ferme singulis annis Luthero librum opposuit.

§. 8.

In conventibus, Hagenovae a) et Ratisbonae anno 1540 et 1541. celebratis, infausto eventu pacis consilia tentabantur. Praecipue autem, quae in colloquio Ratisbonensi agitata, paucis referre juvat. Asserebatur in libello, qui

qui ad concordiam ineundam prolatus erat, nec protestantium, qui missas absque communicantibus non celebrandas esse putabant; nec catholicorum, qui, licet solus sacerdos participaret, illas licitas habebant, sententiam esse reprobandam -- suam cuique b) parti opinionem esse relinquendam. Ast protestantium pertinacia, c) qui abusibus missas privatas audacter ad numerabant, d) unio circa hunc articulum fuit impedita.

a) *Seckendorf* l. III. pag. 290. b) *Seckendorf* l. 3. pag. 359. Plank Geschichte der Entstehung des protestantischen Lehrbegrifs IX. Buch. S. 113. „ Auf dem einen Theil „ will man dafür halten, daß man die Messe nicht „ halten soll, wo nicht sind, die mit dem Priester „ das Sakrament empfahen, sintemal der Herr darum „ das Sakrament eingesezt hat, daß wir viel, die ein „ Brod und ein Leib sind, sollen von einem Brod und „ von einem Kelch sämtlich empfahen und geniessen, „ welches dann auch der Brauch und die Haltung der „ alten Kirchen gewesen sey. Auf dem andern Theil „ will man achten, man möge die Messe auch gottselig „ halten, wenn allein da sind, die mit dem Priester „ geistlich communiciren, und ihren Willen zu der hei- „ ligen Handlung geben. — Diese achten nun daß solche „ ihre Meinung nicht streite mit dem Brauch der Alten; „ sagen und meynen auch, es solle der einsetzung „ Christi nichts abbrechen: Denn der Priester, der dies „ gemeine Amt und gemeinen Dienst der Messen in der „ Kirchen übt, hat sich alsdann vereinigt durch den „ Glauben mit allen denen, die dies Sakrament in der „ ganzen Welt empfahen. — In diesem nun, weil beide „ Theile

„ Theile ihrer Meinung beredet sind, möchte man viel-
„ leicht zu geben, daß sich jeder Theil seiner Meinung
„ hielte. c) Plank l. c. S. 134. d) Conf. Oper. om. Melancht. Part. II. pag. 190. — Testimonia de eucharistia non administranda, nisi adsint, quibus ea distribuatur l. c. pag 203. Adnotata a *D. Casparo Crucigero* Ratisbonae ad refutandas praestigias Sophismatum Ecclanorum in praecipuis doctrinae Christianorm capitibus l. c. pag. 207.

§. 9.

Memorabilis constitutio obvenit in libello, qui sub titulo: Interim anni 1548 cognitus est. Vult imperator a) in omnibus urbium ecclesiis ad minimum duas, in pagis vero dominicis saltem et festis diebus unam missam celebrari; ut tamen in antiqua disciplina restauranda b) labor ponatur, exoptat. -- Pertinet quoque huc ex formula reformationis in eodem conventu Augustano promulgata articulus c) de Missa „nec „ concionis tempore ulla missa celebretur, qua „ populus ab auscultatione distrahatur: Sed ne- „ que sub sacro solemni convenit, ut coram „ populo eodem legantur etiam missae speciales, „ quibus huc illucque populus distrahatur, ut „ nullo sacro satis intendat. “ Idem praecipit synodus Trevirensis an. 1549. cap. de offic. miss.

a) Art. Von den Ceremonien und Gebrauch der Sakramenten. „ Vnd so viel den Gebrauch dieses „ hailigen Ampts angehet; sollen inn ainer yeden Statt „ aber

„ auch inn ainer yeden Kirchen (ob mehr als aine da-
„ rinn weren) die aigne Priesten haben, und darinn
„ das Volk in zymlicher Anzal zusamen zu kommen
„ pfleget, alle Tag zum wenigsten zwo Meß gehalten
„ werden, die ain früe, darzu die Leüt, so mit irer
Handarbait jr Narung suchen, kommen, vnd sich mit
„ dem Sacrament berichten lassen, oder sich Gott dem
„ Herrn Gottseligkeit beuehlen möchten, die ander aber
„ solle vil herrlicher gesungen wedern, umb acht Vhr
„ des Tags, Vormittag, bei welcher auch gleicherweiß,
„ wie vor die jhenigen, seind, die sich aintweders mit
„ der Eucharistien berichten lassen, oder aber sich sonst
„ Gott befelhen sollen. Aber inn den Dörfern solle
„ auffs wenigst alle Sontag vnd Feyrtäg ain Meß ge-
„ halten werden. " ꝛc.

b) Art. Von der Communion, wie sy bey dem Opfer der Meß gehalten werden soll. „ Vnd
„ hie wer es nutz und gut, wann diß aller wahrhaftig-
„ ist Vnd sonderlich Opfer geopfert wurd, das man
„ den alten Gebrauch der Kirchen widerumb einbrächte,
„ da nicht allein der Priester, der da opfert, für sich
„ selbst, sondern auch die Diaconi, vnd andere Diener
„ der Kirchen, die an den Tagen der hohen Fest, als
„ Gezeugen aines so grossen Opfers, und mithelffer der
„ nothwendigen hailigen Aempter, darzu gebraucht wer-
„ den, das sy sich tailhaftig machten der Empfahung
„ des Leibs vnnd Bluts unsers Herren Jesu Christi,
„ wie jnen die Auflegung der Canonen ernstlich gebotten
„ haben. Vnd das sollen auch alle Gleübigen, so zu
„ disem Opffer vnsers Mittlers, vnnd die Gedachtnuß
„ des Tods des Herrn, vnnd vnserer Erlösung, zu
„ betrachten, zusammen kommen, fleissig ermanet, er-
„ innert vnnd auferweckt werden, das sy nach vorge-
„ hender Erforschuung, Beicht und Absolution, die
„ Gnad der allerhailigsten Communion auch empfahen,

„ vnnd

„ vnnd sich mit Fleiß vnnd Andacht gewennen, der „ allerhailigsten Niessung der Eucharistien, mit dem „ Priester offt und vil theilhafftig zu werden. " Conf. Plank l. c. S. 429,

e) *Harzheim* Tom. VI. Concil. Germ. *Goldast* Const. imper. Tom. II. *Brauburger* in comment. de formula reformationis ecclesiasticae (Moguntiae 1782.) pag. 158.

§. 10.

Infinitus forem, si omnia scripta excerpere vellem, in quibus argumenta contra missas privatas protestantes vel repetierunt, vel magis exposuerunt. Spectat huc: Erklärung auf das interim durch die ehrbaren Städte Lübeck, Hamburg, ꝛc. Superintendenten, in qua confessione Fol. 70 et 96. doctrina catholicorum fraudis, imo et idololatriae accusatur. — Bedenken anf das interim der Gelerten zu Wittemberg art. von der Meß. — Bericht vom interim der Theologen zu Meißen art. vom Opfer der Meß. Confessio doctrinae saxonicarum ecclesiarum an. 1551. oper. om. *Melancht.* P. I. pag. 133 et 134. Examen eorum, qui audiuntur ante ritum publicae ordinationis an. 1554. l. c. pag. 328. Articuli impii bavaricae inquisitionis 1559. l. c. pag. 361. — En quaestionem hanc diuitissime examinatam — comitia coacta — virorum doctotum sententias quaesitas. — His tamen omnibus

bus peractis nihil peractum est. Impedita nimirum concordia fuit ob amaram virulentiam, qua pars partem eo styli genere impetiit, quod non placuit, nisi invectivis et sarcasmis aculeatis mordacissime pungeret et laceraret. Aestus immoderatus, φιλονεικια, et ipse disputantium congressus rei bonae obfuerunt.

§. II.

Synodus Tridentina anno 1562. sess. 22. licitas declarabat missas privatas. Nam cap. VI. habetur. „ Optaret quidem sacrosancta syno-
„ dus, ut in singulis missis fideles adstantes
„ non solum spirituali affectu, sed sacramentali
„ etiam eucharistiae perceptione communica-
„ rent, quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii
„ fructus uberior perveniret: nec tamen, si id
„ non semper fiat, propterea missas illas, in
„ quibus solus sacerdos sacramentaliter commu-
„ cat, ut privatas et illicitas damnat, sed pro-
„ bat, atque adeo commendat Si quidem illae
„ quoque missae vere communes censeri de-
„ bent; partim, quod in eis populus spiritua-
„ liter communicet, partim vero, quod a pu-
„ blico ecclesiae ministro, non pro se tantum;
„ sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus
„ Christi pertinent, celebrentur. „ Et can. VIII additur „ Si quis dixerit missas, in quibus
„ solus

„ ſolus ſacerdos ſacramentaliter communicat; „ illicitas eſſe ideoque abrogandas, Anathema „ ſit. “ Vult eadem ſynodus decret. de obſerv. et evit. in celebr. miſſ. omnia e medio tolli, quae a dignitate tanti ſacrificii aliena et temporum vitio, aut hominum incuria, aut improbitate irrepſerunt --- damnat et prohibet cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, importunas atque illiberales eleemoſynarum exactiones et alia, quae a ſimoniaca labe, vel certe a turpi quaeſtu non longe abſunt.

CAPUT VI.

Continuatio hiſtoriae ad noſtra tempora.

§. 1.

Quae poſt Concilium Tridentinum circa miſſas privatas agitata, paucis comprehendi poſſunt. Proteſtantes illas impugnabant, defendebant catholici. Praecipue autem ſenſa Georgii *Caſſandri* et *Wicelii*, quorum ſtudio ad negotium unionis utebantur imperatores Ferdinandus I et Maximilianus II, ſunt notatu digniſſima. Caſſander in Conſult. art. 24. de Miſſa, fatetur, proteſtantes, ſi privatarum nomine intelligant eas miſſas, in quibus ſolus

ſacer-

ſacerdos confecta ſacramenta participat, nec ulla fit myſteriorum diſtributio, non omnino praeter rationem conqueri; illas praeſertim in monaſteriis inoleviſſe, in antiquis eccleſiae monumentis incognitas, imo totam orationum ſeriem ita eſſe confectam, ut cummunicantes ſupponantur. Difficile haud eſſe putat, morem antiquum reſtituere, ſi per dies feſtos tantum in eccleſiis parochialibus miſſae celebrentur; „ facile enim, ait, ex multitudine populi ali„ qui ſemper ſuppeterent, qui una cum ſacer„ dote ſynaxin facerent, et ſacramenta partici„ parent. " Quamvis autem fatendum ſit, divino inſtituto convenientius eſſe, ut in omni miſſa praeſentibus aliquot vel ex clero, vel populo ſacramenta diſtribuantur; nec illam actionem ſacrilegii eſſe accuſandam putat, ſi ſacerdos ſolus ſacramenta percepturus divina myſteria celebret.

Acerbiore, neque in catholico homine probando, ſermone utitur Georgius *Wicelius* in via regia art de miſſa. „ Particulares miſſulae non „ congruunt cum inſtitutione coenae, ait, nec „ cum traditione paulina, nec merentur litur„ giae nomen, nec habent robur ex evangelio, „ nec eccleſiae teſtimonium aut exemplum, nec „ ſanctorum patrum (de antiquis loquor) con„ ſenſionem firmam, nec beatorum martyrum

„ aut

„ aut homologetarum adſtipulationem, nec de-
„ nique oecumenicorum Conciliorum veterum
„ approbationem ullam: ſed nuperis ſaeculis
„ adinvenit has vana hominum ſuperſtitio et
„ hypocriſis, ignorantia et Φιλαργυρια.“ Idem
ſentit in elencho abuſuum. „ Mercenarias
„ miſſationes et conductitias pro rejectis judi-
„ cato, quisquis de Chriſto et hujus coena recte
„ ſentis. Quare? quia ſunt mercenariae, et
„ non illis vel tantillum cum inſtitutione origi-
„ nali, nec cum apoſtolica traditione conve-
„ nit. Per monachos irrepſit in mundum; per
„ monarchas conſopiatur; ſacerdotes ob has
„ creati revocentur ad evangelizandum, et alia
„ eccleſiae juvanda neceſſaria munia, atque
„ ita ſuis vivant: ſin minus, redeant ad locum
„ laicum, unde venerant.“

§. 2.

Sollicitudo eccleſiae praeſulum praeſertim eo tendebat, ut abuſus circa miſſas privatas e medio tollerentur. Hinc ſtatutum ſynodi Cameracenſis an. 1550. tit. de euchariſtia, et votum *Petri Soto* de ſacram. euchariſt lect. 15. „ Ne
„ quilibet etiam nullius ſenſus puerulus ad mini
„ ſtrandum admittatur;“ renovavit Concilium Aquenſe an. 1585. tit. de celeb. miſſ. „ In
„ celebratione ſacerdos ne ſe conferat ad Al-

„ tare,

„ tare, nisi *clericum* in decenti habitu, et cum „ superpelliceo mundo cum manicis sibi inser- „ vientem habuerit. Quibus vero in locis prop- „ ter inopiam clericus ita commode haberi non „ poterit, caveat, ne celebret absque hujus- „ modi clerico, nisi facultatem ab episcopo in „ scriptis impetraverit. " a) Medioianense IV, Tolosanum an. 1590. cap. 6. Avenionense 1595. cap. 22. Narbonense 1609. cap. 29. Mediolanense VI. tit. quae ad missam pertinent.

a) Non alienum erit a loco isto, quae viri celebres hanc in rem protulerunt, commemorare. Et sane, contra sensum Tridentini sess. 22, quod missae sacrificium omni religionis cultu celebrandum vult, evenit, ut vilissimi ad altaris ministerium admittantur de infima plebe homunciones sordido habitu, aut pueri immodesti aut immorigeri, qui nec speciem pietatis praeferendo; neque quid acturi venerint, leviter intelligendo, psittacorum more respondent, et velut simiae administrant. Haec sunt verba anonymi, quae refert *Robertus Sala* in adnot. ad Card. Bona Tom. I. pag. 274. in nota. i) Iisdem pene verbis utitur *Natalis Alexander* theolog. dog. mor. T. III. pag. 437. Quis sane infidelium aut haereticorum, ait Van Espen Part. II. sect. 1. tit. 5. cap. 3. „ Non putet „ esse actionem Iudicram, aut vilissimam quandam tra- „ goediam, dum videt sacerdotem, cum, nescio, quo „ immorigero aut verba vix balbutiente puero, in altari „ alternatim psalmum et orationes recitantem, ipsam „ confessionem facientem, aliaque agentem? Quis un- „ quam infideli aut haeretico persuadebit, ibi actionem „ sublimissimam, et qua ipsa religio Christiana sanctiorem „ aut digniorem non habet, peragi. "

§. 3.

§. 3.

Alia Concilia, ne tempore missae paroecialis missa privata celebretur, statuebant. Pertinet huc Turonense an. 1585. cap. 15. Avenionense an. 1595. cap. 22. Rothomagense an. 1581. tit. de curatorum et parochorum officiis num. 23. Statutum officialis metropolitici senonensis anno 1574. apud Van Espen P. II. sect. 1. tit. 5. cap. 2. num. 10, et synodus ecclesiae Beneventanae an. 1693. tit. 55. cap. 16. Alia, pactiones, mercedes, candelarum certum numerum, inusitatas preces, et similia avaritiae et superstitiosae vanitatis sufflamina rejiciunt. Conf. constitutiones et decreta synodalia dioecesis Osnabrugensis cap. 16. n. 6. Concilium Narbonense 1609. cap. 19. Mediolanense I, apud Natal. Alex. theol. dog. mor. T. III. pag. 467; et, ne auditores verbi divini impediantur, sub concione sacra nullam recitari volunt missam statuta Basiliensia in synodo Thelspergensi praeside Jacobo Christophoro episcopo Basiliensi, an. 1581. tit. 23. de celebratione missarum. Synodus Atrebatensis an. 1570. apud Harzheim T. VIII. Concil. Germ. pag. 236. tit. 12, Harlemensis an. 1564. apud Harzheim Tom. VII. pag. 10 et Augustiana an. 1567. P. II. cap. 6. apud Harzh. Tom. VII. pag. 173.

§. 4.

Sed, de ſtatu hodierno ut loquar, an omnes circa miſſas privatas abuſus ſunt correcti? Deplorat *Alvares Pelagius* de planct. eccl. l. 2. art. 5, quod tot dicantur miſſae quaeſtuariae, ut apud populum, et clerum corpus domini vix non evileſcat. Deplorat *Bellarminus*, quod plurimi ordinari cupiant pro utilitate ſua, non eccesiae; et de celebratione miſſae faciant artem de pane lucrando, unde ſacerdotium contemptibile redditur, et eccleſia ſcandalis ſcatet. Deplorat *Pilati* orig. jur. pontif. pag. 204, quod plurimi miſſae privatae intenti a publicis miſſarum ſolemniis ſe quaſi ſtudio abſtrahant. Deploramus cum Tridentino, quod ſedula paſtorum cura nondum ſublata ſint ſatis, quae avaritia, idolorum ſervitus, vel irreverentia, quae ab impietate vix ſejuncta eſſe poteſt, vel ſuperſtitio, verae pietatis falſa imitatrix, induxit. Sed vigilat epiſcoporum cura, ut abuſus, qui jam in mores tranſierunt, eradicentur. Hinc nuperrime EMINENTISSIMUS NOSTER FRIDERICUS CAROLUS ſpeciali decreto Mendicantibus vetuit, ne viis illicitis ſtipendia extorquerent; hinc archiepiſcopus Salisburgenſis exactiones cujusvis generis prohibuit, a) et epiſcopus Scipio de Ricci b) multiplicata in eccleſiis altaria

aufferri

aufferri jussit, et sacerdotibus, ne stipendiis alerentur, sustentationem congruam concessit.

a) Salzburgische Consistorial = Verordnung ein Nachtrag zum Hirtenbrief Extat im Journal von = und für Deutschland 1784. Januar bis Junius herausgegeben von Goekingk. S. 118. b) Mainzer Monatschrift. 4. Jahrg. 3. h. S. 252. 6. Jahrg. 4. h. S. 276 et 288.

SECTIO II.

Reflexio in canonem Tridentinum.

§. 1.

Quod Synodi Tridentinae canon sess. 22. can. 8. Lutherum condemnet, qui missas absque communione populi illicitas declarabat, non est mirandum. Tot colloquia in comitiis habita, et tota historiae series id satis eloquuntur. Sed quales fuerunt causae, cur licitas crederet missas privatas Concilium Tridentinum? Has paucis libare juvat. Christus, qui religionem